



## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. II. Adstruuntur species infusæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

Angelo realiter distinguitur ab intelligere, quod est actus ad adequatum potentiam intellectivam: ergo etiam essentia & intellectus realiter distinguuntur.

Suppono quarto. In Angelo non esse distinctionem intellectus agentis & patientis. S. D. hic a. 4. Ratio est: ubi intellectio non fit per conversionem ad phantasmata, ibi non est necessitas ratio ponendi intellectum patientem & agentem; sed intellectio Angelorum hoc modo non fit: ergo.

## §. II.

*Adstruuntur species infuse.*

**CONCLUSIO I.** *Angelus ad cognoscenda obiecta se distincta imago species suae essentiae superadditur.* S. D. hic q. 55. a. 1. Ratio est. Ut Angelus cognoscat obiecta à se distincta, debet illa intra ipsius intellectum fieri intentionaliter praesentia vel per seipsa, vel per suam essentiam, vel per species distinctas & superadditas. Non primum; nullum enim obiectum praeter DEUM, ipsamque Angeli substantiam ipsius intellectui uniter aut illabitur. Non secundum: ut enim Angeli substantia alia omnia obiecta per modum imaginis repraesentaret, deberet illa in se continere, quemadmodum Divina essentia ideo alia à se per modum causae exemplaris, & ideae repraesentat, quia illa in se eminenter continet: atqui essentia Angelica alia à se continere nec formaliter nec eminenter potest. Non formaliter, cum per propriam formalem differentiam ab omni alio sit distincta. Non eminenter, quia non nisi Ens primum & illimitatum est ratio & causa superior, in qua rerum differentia primò diversa continentur.

**CONCLUSIO II.** Non tamen illae species possunt ab ipsis obiectis esse acceptae. Veluti docet S. D. a. 2. ex D. Dionysio c. 7. de Divi. Nomin. dicente: *Angeli non congregant Divinam cognitionem à rebus divinis & sensibilibus.*

Ratio est: quod si Angelus acciperet Speciem ab obiecto, id fieret, vel quia ipse intellectus Angeli speciem produceret, & abstraheret ab obiecto; quemadmodum fit ab intellectu agente hominis. Vel quia species produceretur ab obiecto, quemadmodum obiecta sensibilia sui species immittunt in sensum. Neutrum potest dici. Non primum, quia, ut patet in cognitione animae rationalis, quod intellectus agens producat huius determinati obiecti speciem, causa est, quia per pravam sensibilem cognitionem phantasia obiectivè determinatur, ut huius potius, quam alterius obiecti speciem à phantasmate abstrahat. Hoc autem in Angelo locum non invenit. Non secundum, aut enim obiectum est spirituale, aut materiale. Si materiale, non potest producere speciem spirituales, qualem requirit intellectus Angelicus. Si spirituale, tunc deberet speciem educere ex intellectu ipsius Angeli, sed hoc non potest; operari quippe in substantiam & intellectum Angeli illi soli in solidum convenit, qui intra ejus terminos illabitur, suaque virtute creativa conservat DEUS solus.

Habet ergo species à DEO in primordio creationis infusas; veluti significatur Ezech. 28. ubi iuxta PP. interpretationem sub figura Regis Tyri

de Lucifero dicitur: *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore, in deliciis Paradisei DEL fuisisti à die conditionis tuae.* Plenitudo verò decoris & sapientiae includit perfectum apparatus specierum intelligibilem, rerum omnium naturas particulatim repraesentantium.

Ratio quoque (praeter alterius qualiscunque modi repugnantiam primò ostensam) ex S. D. est primò. Modus operandi sequitur modum essendi: ergo cum Angelus à primordio suae creationis simul obtineat omnem perfectionem pertinentem ad modum essendi, eodem modo habebit omnem perfectionem pertinentem ad modum operandi. Secundò. Intellectus comparatur ad formam intelligibilem, sicut potentia physica ad formam spirituales; sed substantia suprema in ordine substantiae corporeae, nempe corpora caelestia habent ab initio creationis potentiam totaliter expletam per formam substantialem; ergo etiam substantia suprema in ordine intellectuali habet à primo instanti suae creationis potentiam intellectivam totaliter expletam per formas intelligibiles, h. e. species.

## §. III.

*Solvuntur objectiones.*

**Objectiones primò:** Substantia radicaliter intellectiva totius entis non potest comprehensive cognosci, nisi cognoscat omne ens tanquam terminus illius intellectivitatis: sed Angelus per suam substantiam cognoscit eandem substantiam, tanquam radicaliter intellectivam omnis entis; ergo etiam per suam substantiam absque specie superaddita cognoscit omne ens.

Respondeo, negando majorem; cum enim substantia radicaliter intellectiva omnis entis sit adhuc proxime incompleta in ordine ad quodlibet obiectum in particulari, idcirco ipsa comprehensio non sequitur comprehendi omne ens distinctè in particulari, sed tantum in confuso sub communi ratione entis. Alias sequeretur, quod sicut Angelus se ipsum semper actu, & naturaliter comprehendit; sic etiam semper esset in actu cognoscendi omne ens possibile.

**Objectiones secundo.** Perfectio, quae convenit intelligenti inferiori, non debet denegari intelligenti superiori: sed species rerum habere à se productas est quaedam perfectio intellectus humani: ergo haec perfectio non debet denegari intelligenti Angelicis.

Respondeo distinguendo majorem. Si sit perfectio simpliciter talis, concedo, si sit perfectio secundum quid, h. e. habens admixtam imperfectionem proveniente ex conditione talis naturae, nego majorem; sed habere species à se productas est quaedam perfectio secundum quid, cum admixta imperfectione sensitivae cognitionis ex conditione unionis cum corpore, concedo, perfectio simpliciter talis proveniens ex natura intellectus ut sic, nego minorem & consequentem.

Sed dices: Sequeretur saltem Angelicum intellectum fore imperfectiorem humano, supposito, quod DEUS nullas species ipsi infunderet, vel infusas auferret: in hac quippe hypothesi, posset intellectus humanus propriis viribus aliquorum obiectorum species, hisque mediantibus eorum cognitionem comparare, quod non posset intellectus Angelicus.

Respon-